

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XIX. Quam utlie sit hominem frangere propriam voluntatem.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

## CAPUT XIX.

QUAM UTILE SIT HOMINEM FRANGERE PROPRIAM VOLUNTATEM.

Voluntas  
divina quasi  
virgo e  
sacra pixide  
videtur  
exsurgere.

ROGATA aliquando ab una persona, ut Deo offerret difficilem rem quam pro Dei amore perfecerat voluntati suæ resistendo; quod dum faceret, in Missa videbatur sibi quasi de pixide in qua continebatur Christi corpus, egredi puerum valde parvulum, qui in momento crevit in virginem speciosissimam, per quam significabatur voluntas Dei; ad quam quædam accedentes, dulcissimo visu eam intuebantur et amplexabantur, confabulantes secum; per quas videbatur sibi significari eas qui voluntatem suam in omnibus voluntati divinæ student conformare, tam in adversis quam in prosperis, et præceptis majorum obedire. Deinde in alia parte visus est stare servus coquinarius, nigerimis indutus vestibus; per quem figurabatur propria voluntas et sensus singularis. Hic despicabilis servus conabatur prædictas personas avellere ab illa pulcherrima virgine, et ad se respicere; quod quædam pro nihilo ducentes, statim iterum ad virginem respexerunt; quædam vero convertentes se ad illum, alludebant ei secum confabulantes et susurrantes. Per has significabantur hæ quæ interdum a Dei voluntate se avertentes, propriam sequuntur voluntatem, magis proprium sequentes sensum quam monita prælatorum implentes. Hæ nisi convertantur per pœnitentiam ad prædictam virginem, scilicet Dei voluntatem, oportet ut perpetua inopia cum eodem servo crucientur; quia nihil parit propria voluntas in spiritualibus nisi perpetuam egestatem.